Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31638
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

credulis. Impii enim dum in mala cogitatione uoluuntur: rotis fiunt similes. que posterioribus eleuatis anteriora sua transmittere uidentur ad tergus. nec quicquam proficiunt. dum suis iugiter iugiter rotationibus adterantur. Sequitur secunda comparatio. ut leuitas peccantium quasi uento mobili transferatur. et huc atque illuc uolitans incerta semper uoluntate moueatur. Le- (marg.)

Vento autem facies. presentia uenti ponitur. Non enim nobis aliqua figuratione prenotatur. sed corporeum in hoc tantum sentimus. quod eius impetu et transcursionibus uerberamur. Ignem quoque et flammam posuit iudicii tempus. quando et silue peccatorum et montes superbie cremabuntur. Ita persequeris illos in tempestate tua. et in ira tua conturbabis eos. Ita persequeris eos respicit ad illa que superius dixit ut sic debeant exterminari. quemadmodum ante facte commemorant. Adduntur alie similitudines. In tempestate tua id est iudicii tempore quod tempestati merito comparatur. primum quia in prouisum est. deinde quod subito fragore conturbat. et locum tollit repentina collisio periculi magnitudo. Tempestas enim ymbrium aeris est. et quedam concitata sedicio. in qua uehementer terremur dum aquarum inmensitate uexamur. Sequitur. Et in ira tua turbabis eos. Sepe iam diximus iram diuinitati non posse congruere. sed ab hominibus tractum esse. qui quando sceleratos iudicant. feruore animi commouentur. nec aliter ad dampnandum hominem ueniunt. nisi de commissis eorum sceleribus excitentur.

Imple facies eorum ignominia. et querent nomen tuum domine. Hactenus futuras penas illis peccatoribus expetiuit. qui in suis remanserunt sceleribus pertinaces. nunc ad illos conuertitur. qui sunt domino prestante credituri. Hanc illorum facies implet ignominia. qui peccatorum suorum non inuenient laudatores. sed potius eis in presenti reputatur quod in mala actione gesserunt. Istos plerumque obprobrium corrigit. dum se uiderint a generalitate culpari. Confundantur et conturbentur in seculum seculi. et reuereantur et pereant. Redit iterum ad pertinaces. qui dei munera non habebunt. Possunt enim aliqui in hoc seculo salutariter confundi. et erubescere. quando conuersionis dona percipiunt. Confunduntur autem et conturbantur in seculum seculi. qui eterna ultione dampnandi sunt. Sequitur. et reuereantur et pereant. Ipse sensus est quem superius dixit. quia ibi reuerendo non proficiunt sed pereunt. quia ad eternum supplicium destinantur. Et cognoscant quia nomen tibi dominus. tu solus altissimus in omni terra. Cognoscant ad genus respiciunt utrumque peccantium siue qui obstinatione sua perituri sunt. siue qui adhibita satisfactione liberantur. Omnes enim cognoscent omnipotentiam dei quia ipse solus est altissimus. dum ipsum cognouerit et conuersis parcere. et obduratos eterna ultione dampnare. **Conclusio psalmi.**

Meminerimus hunc asaph non frustra .xi. psalmis superioribus introductum. ut corda durissima iudeorum frequenter sinagoge ipsius uoce uerberata mollescerent. crederentque uel ipsi nomini cui uidebantur esse deuoti. Quapropter ad eos cura predicantium. sibi non impediat obstinatio perditorum. omnia de incarnatione domini perfecta. omnia de gentium credulitate manifesta sunt. iudicii tempus restat. quod omnis generalitas sustinebit. Sed ante oportet credere. ne ibi possit impios ultio predicta dampnare. **Incipit de psalmo .lxxxiii. in finem pro torcularibus filiis chore psalmus.**

Quid significet in finem frequenter expositum est. Et cum superioribus titulis pro torcularibus diximus ad ecclesiam pertinere. congruit autem diligenter inspicere cur ecclesia sit uisa tale nomen accipere. Uua pendens in arbore constituta. ns atque intacta. et oliue baca suauissimi saporis sui non indicat dignitatem. sed cum ad torcular utraque peruenerint. nimioque pondere depressa detumuerint. tunc fructus dulcissimi liquoris emanant. qui in follibus suis reconditi non patebant. Sic ecclesia dei cum afflictionibus perturbationibus atteritur. declamant merita sanctorum. que quietis temporibus cognita non fuerunt. Ista ergo torcularis pressura sanctificat. contricio melioratur. cuius labor celestis fructus est. et panis presens uita eterna. et requies sempiterna. Nec illud uacat. quod in .viii. et in .lxxx. et hic tantum pro torcularibus positum est. Signum enim ad sanctam trinitatem hoc mysterium pertinere. quod trini numeri repeticione sacratum est. Chore uero caluum interpretari. superius iam dictum est. Cuius nominis interpretatio denuntiat caluarie locum. ubi christum dominum constat esse crucifixum. Et ideo filii chore christiani modis omnibus indicantur. ex quorum persona iste psalmus cantatur.